

tantum fuiſſe aliquas pœnas Regulares Monachis inſiſctas ad propriam & aliorum emendationem & præcautionem.

Nihilominus quia per illas Monachi ſeparabantur à reliquorum conſortio, & oratione, pro magna ſanè habebatur pœna; & qui illà multabantur, ſathanæ tradi videbantur; eo quod jam reliquorum oratione & conſolatione deſtituti viderentur ſathanæ inſidiis magis expoſiti. Uti latius exponit & oſtendit Joſephus Mege in Commentatio ad cap. 25. Regule Benedictinæ.

Quod tamen hodie Abbates aliive Monafteriorum Prælati excommunicationem majorem, quæ ſit cenſura Eccleſiaſtica ferre poſſint, oſtendimus, dum de Cenſuris Eccleſiaſticis agemus; ubi unâ regulas obſervandas notabimus.

XXXII. Si Frater excommunicatus, neque excommunicatione, neque corporali correptione emendetur, poteſt Abbas juxta præſcriptum regulæ Benedictinæ & aliarum Regularum à Monafterio illum ejicere & abſcindere, quemadmodum ſuprà Titulo 27. c. 7. probavimus; ubi tamen unâ obſervavimus, hanc diſciplinam moribus hodiernis eſſe mutatâ; neque poſſe Superiores hodie Monachos incorrigibiles à Monafterio reſcindere; ſed eſſe erga talis coercendos; uti & poſſitas, ſi ad Monafteria reducantur; quemadmodum rectè obſervat Boerium obſervo, cujus verba hic addo: "Opôrteret ſupplere hodie ubicumque invenitur in Regula, Monachus projiciatur vel expellatur à Monafterio, ad eſt, reſtrudatur in ergaſtulum, ſive in carcere, ſive in aliud Monafterium ad agenda poenitentiam tranſmittatur.

Hinc non obſcurum eſt, cur in poſterioribus Regularium frequentior incarcerationis mentio fiat, quàm in antiquis; dum olim rebelles & incorrigibiles à Monafterio expelli, & à Religione abſcindi poterant.

C A P U T I V.

Quandonam Superior debeat petere

conſilium vel conſenſum Capituli; & qui Capitulum conſtituunt?

1. Regimen Abbatis ex præſcripto S. Benedicti eſt monarchicum.
2. Abbati opus eſt conſilio.
3. Conſiliarius ab Abbate adhiberi vult S. Benedictus.
4. In rebus ad ſuam Congregationem conſulti vult Benedictus.
5. Ad Congregationem ſpectant tam laici, quam Clerici.
6. Ex Regulis Monachicis tam laici, quam Clerici in Capitulis ſuffragium habent, quod & nunc in Ordine S. Franciſci obſinet.
7. Sæculo 14. admittit conſerium ad Capitulum ſoli qui in Ordine Subdiaconatus ſunt.
8. Ratio hujus Decreti.
9. Aliquando Regulares ad Ordines ſuſcipiendos cogi debuerunt.
10. In quibus Ordinibus id præcipue conſerit.
11. Hodie nimis in Regularibus ad Ordines ſuſcipiendos pruritus, & unde hæc mutatio.
12. Hodie in omnibus penè Monafteriis Fratres laici & Clerici ſacro Ordine non inſigniti ſuffragio etiam conſultivo privati ſunt.
13. In Monafteriis Monialium ſolæ Moniales Choriftæ excluſis Conventis Capitulum conſtituere ſolent.
14. Sorores Conventu in Ordine S. Franciſci manentem in electione Abbatiffæ, & unde diſtinctio Sororum, Conventuarum & Choriftarum.
15. Quando requiritur conſilium aut conſenſus Capituli, debet Capitulariter dari.
16. Abbas eſt, negotium Congregationi proponere; & quomodo proponendum.
17. Quomodo conſilium Fratrum Abbas exoptere debeat.
18. Quid Abbati faciendum auſo Fratrum conſilio.
19. Abbas cavere debet præformare ſuam opinionem.
20. Abbas conſilium audire; non ſequi tenetur.
21. Tenetur Abbas in omnibus ſequi Regulam.
22. In cauſis levioribus vult S. Benedictus adhiberi conſilium Seniorum.
23. Qui nomine Seniorum intelligantur.
24. Hodie in plerique Ordinibus regimen Superiorum eſt præ parte auctoritativum.
25. Quæ ſunt negotia graviora quæ exoptari nequeunt ſine conſenſu Capituli ſive Congregationis.
26. Abbas etiam hodie non tenetur habere conſenſum Capituli niſi in cauſis ſpecialiter deſignatis.
27. Dum conſenſus Congregationis exigitur, non requiritur omnium.
28. Actus eſt nullus ſi Abbas conſilium non petierit, ſi petere tenetur, etiam ſi ſequi non debet.

I. Regimen monarchicum inſtituiſſe ſanctum Benedictum manifeſtum eſt ex cap. 65. ſuæ Regule.

Cum enim advertit per ordinationem Præpoſiti qui quali ſecundus eſſe præſequebatur, ſcandala gravia in Monafteriis oriri, dum ſunt aliqui, aut, magno ſpiritu ſuperbiæ inflati, exiſtimantes ſe ſecundas Abbates eſſe; allumentes tyrannidem, ſcandala nutriunt, & diſſenſiones in Congregationibus faciunt.

Deinde ut his aliſque incommodis obvict, ſubjicit: "Id eoque nos prævidemus expedit propter pacis charitatiſque cuſtodiam in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monafterii ſui: ita ut alii omnes, quocumque etiam officio fungantur, illi ſubditi, non æquales ſint, aut parem cum eo magiſtratam gerentes.

II. Sed cum arduum & difficilem rem ſuſceperit, ſcilicet regere animas, opus ipſi eſt conſilio, ut videat quæ ei agenda ſint. Nam ut ait Sapiens Proverb. 13. Qui agunt omnia cum conſilio, reguntur ſapientiâ.

III. Quapropter S. Benedictus poſtquam Abbati oneris ſibi impoſiti gravitatem & agendorum difficultatem ſuæ & diſtinctè propoſuit cap. 2. ſuæ regulæ, capite ſequenti ſubjungit de ejus conſiliariis, ſive quos in conſilium adhibere debet; & quæ in expetendo conſilio ab Abbate, & quæ à conſiliariis ſint obſervanda.

Quoties aliqua præcipua agenda ſunt in Monafterio, inquit, convocet Abbas omnem Congregationem & dicat ipſe unde agatur. Et audiens conſilium Fratrum, tractet apud ſe; & quod utilius judicaverit, faciat.

IV. Inprimis vult S. Benedictus in rebus præcipuis tractandis per Abbatem convocari omnem Congregationem; id eſt, omnes qui ſunt de Congregatione ſive Monafterio; etiam juniores: quia, ait, ſape junior Dominus revelat quod melius eſt.

V. Cum ergo omneſt tam laici, quàm Clerici ad Congregationem pertineant; imo tempore S. Benedicti nulli aut pauci eſſent in Monafterio Clerici, manifeſtum eſt ex præſcripto Regulæ, tam laicos, ſive ut hodie loquuntur, Fratres converſos, quàm Clericos, ſeu ad chorum profeſſos Congregationem ſive Capitulum (quod in cauſis arduis congregari & conſulti debet) conſtituiſſe; atque æquale ſuffragium habuiſſe.

VI. Neque in antiquis Monachorum, neque recentioribus, ut S. Franciſci illa hujus diſtinctionis inter Fratres laicos & Clericos mentio fit.

Unde etiam nunc hodie in Ordine Fratrum Minorum Fratres laici concurrunt & ſuffragium habent cum aliis Clericis in electione Diſcreti; modo tamen à quinque annis profeſſionem emiſerint; cum illi qui Ordine ſacro ſunt inſigniti ſuffragio gaudeant, tamen in duobus tantum annis ſint profeſſi Cap. 7. §. 3. Inſtit.

VII. Hæc diſciplina quæ omnes indifferenter ad Congregationem ſive Capitulum admittebat, primùm mutari cepit ſæculo 14. quando ſub nomine Concilii Viennæſis in Clementina UT 11. De Etate & qualitate Ordinand. decretum fuit, "Ut nullus de cætero in hujusmodi Eccleſiis Cathedralibus vel Collegiatis ſæcularibus vel Regularibus vocem in Capitulo habeat, etiam ſi hoc ſibi ab aliis liberè concedatur, niſi ſaltem in Subdiaconatus ordine fuerit conſtitutus.

VIII. Ratio Decreti in præſatione exprimitur: "Ut illi qui Divinis in Cathedralibus vel Collegiatis, ſæcularibus vel regularibus ſunt mancipati officiis, vel mancipabuntur, impoſiterum, ad ſuſcipiendos Sacros Ordines propenſus inducantur.

IX. Hæc obiter notandum, eo tempore in quibusdam Eccleſiis Regularibus Religioſos ita fuiſſe moroſos in ſuſcipiendis ſacris Ordinibus, ut etiam pœnis ad id adigi deberent; quod & indicat aliud ſub nomine ejuſdem Concilii Decretum in Clementina NE IN AGRO de Statu Monach. quo decernitur: "Ad ampliorem autem cultus Divini ſtatuiſſe, quod Monachi quilibet ad monitionem Abbatis ſe faciant ad omnes

ad omnes Ordines Sacros (exuſatione ceſſante legitima) promoveri.

X. Nomen Abbatis inſinuat, hoc Decretum poſſimum Monachos Abbates ſpectaſſe: utpote qui aliunde divitiis abundantes, nihil de ſuſceptione Ordinis Sacri lucri aut commodi ſperarent, malebant otii delicias, quam Ordine ſacro initiati Divinis officiis peragendis vacare. Unde ad hoc Decretum reflectens Chriſtianus Lupus ait: "Poſt ablatum per divitiarum opus manuum cœperunt Monachi ab otio invadi, ideoque ſacro ſaltem miniſterio adverſus illud muniendos Pontifex judicavit." Ad Can. 6. Calched.

XI. Hodie verò poſtquam ex ſuſceptione Ordinis Sacri aliquod emolumentum, uti ex celebratione Miſſarum apud Mendicantes, vel aliqua Prærogativa haberi cœpit, tantus eſt hoc Decretum reflectens Chriſtianus Lupus ait: "Poſt ablatum per divitiarum opus manuum cœperunt Monachi ab otio invadi, ideoque ſacro ſaltem miniſterio adverſus illud muniendos Pontifex judicavit." Ad Can. 6. Calched.

XII. Itaque poſthac Viennæſis Concilii Decretum, ac præſertim ſequenti ejuſdem innovationem per Synodum Tridentinam ſeſſ. 1. Cap. 4. De Reformat. cœperunt in plerique Religionibus Fratres laici aliique ſacro Subdiaconatus Ordine non inſigniti à Congregationibus Capitularibus excluſi, & ſuffragio activo etiam conſultivo privati.

XIII. Cum verò in Monachis virorum Fratres laici ſeu Converſi à Congregationibus Capitularibus eſſent excluſi, ſolique Clerici ſeu ad chorum, ut ajunt, profeſſi, Congregationem ſive Capitulum conſicerent, horum exemplo in Monialium Monafteriis ſub ejuſdem Regulis militantibus, ſenſim etiam primò recepta fuit diſtinctio Sororum laicarum ſeu Converſarum, & Sororum Choriftarum ſive ad chorum profeſſarum; ac dein Sorores illæ laicæ à Congregationibus Capitularibus excluſi cœperunt, prout hodie in plerique Monafteriis excluſi ſunt.

XIV. Quia tamen omnes Moniales ſeu laicæ ſeu Choriftæ verè ſunt de Congregatione ſeu Conventu, nec ullum Eccleſiæ Decretum ſit hæc excluſionem probans, meritò Senatus Parisienſis anno 1642. per ſententiam manutenuit Sorores laicas ſeu Converſas Ordinis S. Clare ſive Urbanicas in poſſeſſione dandi ſuum ſuffragium in electione Abbatiffæ, uti referunt in appendice ad Opera Claudii Le Preſtre pag. 86. narraturque diſcurſus Advocati Regi in favorem Sororum Converſarum; qui inter alia notabat, primitus nullam fuiſſe inter Sorores eandem Regulam profeſſas diſtinctionem, ſed ſucceſſu temporis eam diſtinctionem eſſe inductam potiùs ex neceſſitate divitiarum, quàm meritorum aut alia rationabili conſideratione; ut nimirum ſolæ pauperes admittantur tamquam Converſæ, divites verò ad chorum: tamen ſi ſubinde illæ capiores ſint per his ut Divinis officiis occuparentur, hæc manualibus operibus exercerentur. Hi qui Monafteriis intendunt, expendere poterunt, quid in hiſce fieri conveniat.

Ut ad Regulam Benedictinam, à qua non nihil deſleximus, redeamus, dicit ab Abbate convocandam Congregationem.

XV. Pro quo notandum, quod ſi negotium aliquod ſit Capitulariter tractandum; ſive ut conſilium Capituli audiatur, ſive conſenſu obtineatur, tunc debeant omnes Capitulariter congregati audiri & conſilium aut conſenſum ſuum dare; neque ſufficiat, ſi ſinguli audiantur & ſuffragium ſuum ſinguli privatim depromant; imo actus ſic expeditus ob defectum non congregati Capituli eſſet nullus; uti communiter docent Canonice relati à Tamburino De Jure Abbatum ſomo 3. diſp. 1. quaſt. 2. num. 25.

XVI. Deinde ait Benedictus: "Dicat ipſe, unde agatur. Hoc eſt, negotium ipſe Abbas proponat, idque juxta modernam diſciplinam Præſidenti Congregationi competere ſolet.

Ita autem proponat, ut meri proponentis partes agat; & ſuam propriam celet ſententiam, ait Haeftenus lib. 3. tract. 5. diſp. 6. "Ne fortè aſſentatores ei placere ſtudentes, ejus

potius ſequantur voluntatem, quàm rei utilitatem: aut ne timidiores metu diſplicendi, verum dicere vereantur. Vitabit proinde, ne quis in unam, quàm alteram partem propenſum ejus animum percipiat.

XVII. Pergit Benedictus: "Audiat conſilium Fratrum: ſcilicet omnium, qui Congregationem conſtituunt." Audiendi autem benignè, patienter, ſine moleſta interruptione, conſeſſo loquendi ſpatio & libertate, nec verbo, aut ſigno alieniorem à quoquam animo oſtendat." ait Haeftenus.

XVIII. Audit omnium conſilio, tractet apud ſe, ait Benedictus, id eſt, ſingulorum ſententias & rationum monumenta expendat, examinet & ponderet nec enim ſemper quod plures ſentiunt, hoc melius. Proinde ubi negotium non dependet à pluralitate ſuffragiorum, quæ numeranda ſunt, Abbas non tam numeret ſententias, quàm æquâ lance appendat. Ac præcipue attendat illud monitum Tobie ad filium ſuum: "Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permanent." Tob. 4.

XIX. Ut verò æquâ lance conſilia Fratrum appendat Abbas, necelle eſt, ne uni potius quàm alteri opinioni ex humana aliqua ratione adhareat, quouſque Fratrum conſilia audierit; quod rectè expreſſit S. Dorotheus Doct. 7. his verbis: "Nihil decretum & præfixum in mente, vel ſenſu habeat. Si enim antequam conſilium petat, aliquam animo, agglutinatam opinionem habeat, vix umquam ullo Fratrum conſilio, quamvis ſalubri, ab ea deducetur.

XX. Poſt expenſa Fratrum conſilia, quod utilius judicaverit, ait Benedictus, faciat Abbas.

Hæc manifeſtè ſupponunt, ex præſcripto Regulæ Benedictinæ non competere Monachis in rebus tractandis niſi ſolum votum conſultivum; ultimam verò deciſionem pendere à ſolo Abbate: adeoque regimen Abbatis, ut ſuprà monuimus, à S. Benedicto fuiſſe inſtitutum monarchicum.

Quod ulterius in verbis ſequentibus inculcat dicens: "Sic autem dent Fratres conſilium cum omni humilitatis ſubjectione, ut non præſumant procaçiter defendere quod eiſiſum fuerit; ſed magis in Abbatis pendeat arbitrio, ut quod ſalubrius judicaverit, ei cuncti obediant.

XXI. Ne tamen Abbas hac ſua auctoritate abutatur, & ſubditis graviora quàm profeſſio eorum exigit, imponat, addit: "In omnibus igitur omnes magiſtram ſequantur Regulam, neque temerè ab ea declinetur à quoquam.

Et ne quis ambigat, num ſub hac generali expreſſione comprehendatur ipſe Abbas, mox ſubjungit: "Ipſe tamen Abbas cum timore Dei, & obſervatione Regulæ omnia faciat, ſciens, ſe procul dubio de omnibus judiciis ſuis æquiſſimo judici Deo rationem redditurum.

XXII. Totius Congregationis conſilium expeti vult S. Benedictus, ſi præcipua agenda ſint in Monafterio; hoc eſt, in cauſis gravioribus: "Si quæ verò ait, minoræ agenda ſunt in Monafterio utilitatibus, Seniorum tantum utatur conſilio, ſicut ſcriptum eſt: Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non poenitebis.

XXIII. Qui hic per Seniores intelligantur, non determinat Benedictus, Cardinalis à Turrecremata Tract. 15. in cap. 3. Regule ait: "Senior hoc loco non ſemper videtur notate ſenectutem ætatis, aut prioritatem converſionis: quia quandoque in multis hujusmodi nec abundat conſilii maturitas, nec rerum experientia. Sed Seniores credimus hic prudentiores & magis expertos, appellandos, ſecundum illud Tobie: Conſilium à Sapiente require." Verùm quia invidioſum ſæpe eſt, relictiſis profeſſione ſenioribus, designare alios tamquam prudentiores, & magis diſcretos; hinc apud quosdam in uſu eſt, conſulere ſeniores ſecundum Ordinem profeſſionis.

In aliis nullis Ordinibus eliguntur Aſſiſtentes, aut Diſcreti; quorum conſilio vel aſſenſu Superiores omnia agant; de quorum electione & auctoritate ſingulorum Ordinum Conſtitutiones conſulendæ & ſequendæ ſunt.

XXIV. Illud inſuper ex omnium penè Ordinum & Congregationum Conſtitutionibus, etiam eorum qui ſub Regula Bene-



Benedictina militant, intelligi poteſt, hodie ob depravatos hominum mores, ac naturam humanam corruptionem, & quia [ ut ait Alcianus Tamburinus loco citato quaſto 2. num. 2. & 3. ] non omnes, qui regunt, eſſe poſſunt Auguſtini aut Benedicti, nec ſubditi Poſſidii, factum eſſe, ut Religiones loco Monarchiæ abſolutæ, cum ea ſimul Ariſtocratiam amplexatæ ſint: imo fere omnes Religiones tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, regimen ariſtocraticum elegerunt, relicto Monarchico, ait Tamburinus; qui ibidem relatis variorum Ordinum Conſtitutionibus oſtendit, eorum regimen eſſe ariſtocraticum.

XXV. Atque inter alia recitat ex Joanne Trithemio aliqua, quæ Abbas non tantum ſine conſilio, ſed nec ſine conſenſu Monachorum exequi poteſt: ut ſunt v. g. "Res Monafterii immobiles, agros, prata, & alia hujusmodi vendere. Secundo dicit, quod non poteſt recipere ad profeſſionem Monachum ſine conſenſu Conventus. Tertio, quod non poteſt Monafterium gravare pignoriſus, & aliis cautionibus, magnam ſummam recipiens pecuniarum ſuorum bona Monafterii, abſque evidenti neceſſitate, & Fratrum ſuorum conſenſu. Quarto, quod non licet Abbati dimittere Monachum ad aliud Monafterium ejuſdem Ordinis, ſine prædicto conſenſu. Quinto, non poteſt aliqua Statuta iſtis imponere, quæ ſe ultra Regulam extendant, niſi conſentiant Monachi. Sexto, non poteſt aliquem ad Conſtatinitatem ſpiritualem totius Monafterii accipere, niſi concurrant Monachi ſubditi. Septimo, non poteſt præbendarios perpetuos recipere ad Monafterium, ſine voluntate Conventus. Deinde ſubdit hæc verba: Sunt & alii caſus, in quibus, ſi non eſt ſemper neceſſarium, eſt tamen honeſtum, ut ſine Fratrum ſuorum Abbatis aſſenſu, eorum nihil attentet. In diſciplina autem conſervanda poteſt Abbas, ſine iſtorum conſenſu, vel voluntate, ſi tamen expediat, limites Regulæ non omittens, agere, prout ſibi melius viſum fuerit expedire.

Quæ hic aſſerit Trithemius ſine conſenſu Monachorum à ſolo Abbate expediri non poſſe; etiam hodie in plerique Religionibus cum conſenſu totius Congregationis expediri conſueverunt.

XXVI. Quia tamen ex ſua inſtitutione Abbatum regimen eſt monachicum; nec niſi conſilium etiam in rebus arduis expetere debet ex præſcripto Regulæ, dicendum, quod conſenſus Capituli ſive Congregationis ad validitatem actus non exigatur, niſi in caſibus à Jure vel Conſtitutionibus Ordinis ſpecialiter expreſſis; quemadmodum Episcopus conſenſum ſui Capituli habere non debet, niſi in caſibus à Jure designatis; ut ſuprà titulo 8. cap. 4. num. 5. notavimus.

XXVII. Illud inſuper notandum, quod dum conſenſus Congregationis requiritur, non omnium de Congregatione requiritur; ſed ordinariè ſufficit major pars totius Congregationis; aut etiam interdum ſufficit, præſertim in electionibus, major pars comparata ad alias partes quæ alios elegerunt niſi aliquo ſtatuto aliud fuerit expreſſum.

XXVIII. Denique licet Abbas aliſve Superior in caſibus in quibus tantum debet requirere conſilium, non teneatur conſilium eorum ſequi; tamen actus eſſet nihilominus nullus, ſi à Capitulo aut Congregatione debite convocata conſilium non expetiſſet; uti docent communiter Canonica quos citat Alcianus Tamburinus loco citato quaſto 8. num. 1.

CAPUT V.

De Cura temporalium Abbatibus incumbente, & Officialibus ab iſtis conſtituendis.

- 1. Cura temporalium primario Superioribus Monafteriorum incumbit.
2. Superior diſpenſare debet ſine acceptione perſonarum in uſus Communitatis.
3. Superiores tantum ſunt Diſpenſatores, & ſinem à Fundatoribus præfixum attendere debent.
4. Minutam Synodi Cameracenſis.
5. Quibus debeantur bona Monafterii quæ neceſſariis Religionum ſuper ſunt.

- 6. Prælati utentes rebus Monafterii propriis, cenſendi ſunt proprietarii.
7. Alienatio rerum Monafterii ſoli Abbati vetita, etiam ſi ſententia mientia Abbatiati.
8. Superiores tenentur reddere compenſum ſue adminiſtrationis.
9. An Episcopus interveniat compenſus.
10. Superiores ita circa temporalia verſentur, ut ſpiritualia non negligant.
11. Superiores temporalibus curandis deputant Officiales.
12. Præcipuus inter hos Cellerarius, ſive Procurator, & quales eligendus.
13. Cavendum ne Procurator ita circa temporalia verſetur, ut exercitia ſpiritualia emittat.
14. Periculoſum eſt in Procuratorem conſtitui qui in virtute non eſt multum exercitatus, & quare.
15. Conventus, ut negotia Monafterii multum diſtrahenda committantur ſecularibus.
16. Officiales in adminiſtratione temporalium dependent à Superiore Monafterii.
17. Poſt Abbas eorum auctoritatem reſtringere vel ampliari.
18. Cavenda in adminiſtratione temporalium ſpecies avaritiæ.

PRæcipuam rerum temporalium inſpectionem & ſuperintendentiam eſſe penes Abbates aliſque Monafteriorum primarios Præfectos, eoſque eſſe præcipuos rerum ſuarum diſpenſatores, tam ex Sacris Canonibus, quam Regulis Monachicis conſtat.

Univerſa ſait Gelaſius Papa in Can. NULLAM cauſ. 18. qu. 2. quæ vel ad Divini cultus reverentiam, vel ad utilitatem Monafterii pertinent Abbatis ſollicitudo, ad quem poteſtas tota pertinere convenit, debeat adimplere.

Regula Benedictina pluribus locis, ac ſignanter cap. 2. 32. 33. 54. & 57. hanc in diſpenſandi rebus temporalibus auctoritatem in Abbate manifeſte ſupponit; quam etiam Regula S. Auguſtini non obſcure expreſſit, ubi ait: "Non dicatis vos, aliquid habere proprium, ſed ſint vobis omnia communia; & diſtribuat unicuique veſtrum à Præſite veſtro.

Circa hanc Abbatum aliorumque Superiorum diſpenſandi ac regendi res temporales poteſtatem plura obſervanda ſunt.

I. Inprimis Superiores in rebus communibus diſpenſandi tenere debent normam ſibi in Actis Apoſtolicis his verbis præſtatam: Dividebatur autem SINGULIS prout CUIQUE opus erat: hoc eſt, ut ſine perſonarum acceptione ſingulis Religioſis diſtribuat prout cuique opus erit; de qua diſpenſandi norma egimus tit. 29. c. 5. & 7. atque inſuper in hac diſpenſatione eam tenere moderationem, ut ea quæ Religioſis ad neceſſitatem dantur, limites paupertatis Religioſæ non excedant; uti eodem titulo cap. 8. [ quod per errorem dicitur ſeptimum ] oſtendimus.

II. Cum vero rerum proventuumque Monafterii ſola diſpenſatio Abbatis concedita ſit, non autem eorum iſtis data ſit proprietas, tenentur iſti Abbates ſe tamquam fideles diſpenſatores & adminiſtratores, nequaquam vero ut proprietarios aut rerum dominos exhibere; ac per conſequens in rebus illis diſpenſandis ſemper præfixum habere ſinem quem iſti Fundatores, qui hanc eis diſpenſationem crediderunt, intenderunt.

IV. De hoc puncto ſerio monet Abbates & Abbatiffas Synodus P. Cameracenſis titulo De Monafteriis cap. 16. "Ceterum monet S. Synodus Abbates, Abbatiffas, & alios Monafteriorum Præfectos, & Præſectas, ut ſui meminerint officii, ſeque non eſſe dominos bonorum Monafterii, imò ne fructuum quidem; ſed tantum diſpenſatores & adminiſtratores; neque ſe prohibito diſpenſare poſſe, ſed ſecundum intentionem Eccleſiæ & piorum Fundatorum. Proinde de valde reprehendiſſibile eſt eorum factum, qui ex bonis, vel etiam fructibus Monafterii ſui ditant propinquos, vel amicos ſuos. Itemque eorum, qui ſuperfluum & nimis faſtuoſum habent famulitium & comitatum, nimium eorum numerum, quique nimium ſplendide & ſumptuoſe ædificant, præſertim ædificia non facta.

V. Hoc decretum innovans ejuſdem Provinciæ Cameracenſis Synodus Diceceſana Audomarenſis ſub Joanne Six anno. 1585. addit: "Id quod neceſſariis uſibus ſuperfluit, debet Paſtoribus, quibus tenuius quàm oportet proviſum eſt,

est, debeturalendis pauperibus, ædificandis Dei templis, augenda orandaque Christianæ Reipublicæ & ſimilibus finibus.

Deinde monet Prælatos, ut meminerint, nec ſe à voto paupertatis abſolutos; ſed bonorum communium dumtaxat diſpenſatores eſſe.

VI. Etenim ſi Prælati bona Monafterii non tantum fideliter diſpenſent, ſed tamquam propriis in quolibet uſus pro arbitrio ſuo utantur; & de iſis diſponant, non tantum injuſtiſiæ, quemadmodum alit rerum temporalium diſpenſatores, ſed proprietas & voti infraſcriptionis rei reputantur coram Deo, uti appoſite jam pridem notavit Petrus à S. Audamato vulgò wallon Capelle lib. 2. inſtitut. Monafterii cap. 9. "Quoad diſpenſationem rerum temporalium iſti (prælati) commiſſam, inquit, iſis caſibus quibus contingit diſpenſationem dominorum temporalium ſuorum, in ſua diſpenſatione committere opere vel voluntate, peccatum proprietatis incurrunt. Proprietatis igitur ſunt, inſert dicitur Auctor, imò fures & ſacrilegi, non minus quam Judas loculos Chriſti expilans, quoties ſcultatibus Chriſti & Eccleſiæ utuntur, vel poſſident tantum propriam: quod maxime cavebat S. Auguſtinus, ipſo teſte: Cum datur mihi veſtis pretioſa, ait, vendo eam, ut quia veſtis non poteſt eſſe communis, pretium commune ſit, maxime vero proprietatis ſunt, pergit Auctor, quando iſi abutuntur in ſtatuendis ſibi magnificis monumentis; aut celebribus exequiis, vel anniverſariis ſibi præſigendis, magnis Eccleſiæ ſumptibus, in erigendis ſuperbis ædificiis, eiſque decorandis tapetibus variisque picturis, in luxu, in exquiſitiſſimis cibis & vinis pretioſis, menſæ ſuperfluo apparatus, in vaſis argenteis & aureis, in ludis, in alenda multitudine famulorum canum, equorum, &c.

Non immerito ergo notavit Joannes Heſſelius in De calogum cap. 147. Præſectis Monafteriorum ſpecialè periculum imminere peccandi vitio proprietatis propter temporalium diſpenſationem eis creditam.

VII. Ad hæc, quia ſola adminiſtratio & diſpenſatio Abbati credita eſt, idcirco adinſtratio adminiſtratorum nullam habet auctoritatem bona immobilia, aut etiã pretioſiores res mobiles ſine conſenſu conventus alienandi; quod & locum habere quoad bona menſæ Abbatiali ſpecialiter addiſta iſis in Monafteriis in quibus bona inter Conventum & Abbatem ſunt diviſa, notat Renatus Chopinus lib. 2. Monafterii tit. 2. num. 16. referretque ſæpius in judicio contradictorio ita fuiſſe declaratum.

VIII. Sicuti adminiſtratores & Curatores rerum alienarum tenentur ſue adminiſtrationis & cautela reddere rationes ſive computum, ita in multis Ordinibus ſui obſervat Zypæus conſult. 6 De Regularib. ] Regula, Conſtitutiones aut mores habent, ut Abbates & Abbatiffas quotannis coram Conventu compenſum faciant.

IX. Inſuper decrevit Gregorius XV. in Conſtitutione quæ incipit Inſeruat ubi 18. in Bull. R. "Sed & adminiſtratores bona ad eadem Monafteria ſanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus ſubjectarum, pertinentia, ſive Regulares extiterint, ſive ſeculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, ſingulis annis, rationes adminiſtrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, an idque juris remediis cogi, & compelli queant.

Sed (uti monet Zypæus citata Conſultatione) ea Bulla nondum hic omnino recepta eſt: Et Abbas S. Redaſti, ait, contra Episcopum Atrebatenſe Concilii Mechlinienſis juſſu obtinuit, ne illam ibi viſa regiã poſſit exequi.

Neque hæctenus in Belgio uſu obtinere videmus, ut Episcopi computibus Monafteriorum exemptorum interveniant; at illorum, quæ ſub Episcopi directione & auctoritate conſiſtant, Episcopus per ſe, aut per ſuum Commiſſarium, idque frequentius, intervenire ſolet.

X. Abbatibus aliſque Monafteriorum Superioribus adminiſtratione habentibus ſerio expendendum illud S. Benedicti monitum c. 2. Regula: "Ante omnia ne diſſimu-

lans aut parvi pendens ſalutem animarum ſibi commiſſatum, non plus gerat ſollicitudinem de rebus tranſitoriiſis, terrenis atque caducis, ſed ſemper cogitet, quia animas ſuſcepit regendas, de quibus rationem redditurus eſt. Et ne cauſetur de minori fortè ſubſtantia, meminerit ſcriptum: Primum quaerite regnum Dei, & juſtitiam eius; hæc omnia adjicientur vobis. E. iterum: Nihil de eſtimentibus eum. Sciaturque, quia qui ſuſcepit animas regendas præparet ſe ad rationem reddendam.

XI. Ne autem Abbates & Superiores, quibus cura ſpiritualis Monafterii incumbit, nimium ſe debeant temporalibus negotiis immergere, paſſim in Regulis, Conſtitutionibus Monachicis, & Synodorum Decretis autem ſunt, & moribus comprobatum, ut rebus temporalibus adminiſtrandis & curandis aliqui inferiores Officiales à Superioribus deputentur.

XII. Inter hos præcipuus reputatur, qui in Regula Benedictina cap. 31. dicitur Cellerarius, vel ut alii legunt Cellarius, atque idem eſt, qui hodie in quibuſdam Monafteriis Oeconomus, Proviſor vel Procurator appellatur.

Qualis eſſe debeat Cellarius dicit S. Benedictus; "Eligatur, ait, de Congregatione ſapiens, maturus moribus, ſobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injurioſus, non prodigus, ſed timens Deum: qui omni Congregationi ſit ſicut Pater, Curam gerat de omnibus; ſine juſſione Abbatis nihil faciat. Quæ jubentur, cultodiat; fratres non contriſtet. Si quis frater ab eo fortè aliqua irrationabiliter poſtulat, non ſpernendo eum contriſtet, ſed rationabiliter cum humilitate male petenti denegat. Animam ſuam cultodiat, memor ſemper illud Apoſtolicum: quia qui bene miniſtraverit, gratum bonum ſibi acquirit.

XIII. Ad hæc verba, animam ſuam cultodiat, addunt Patres Congregationis Caſſinenſis num. 2. "Cellarii non ſic ſe immergant temporalibus, quin vacent ſpiritualibus, ſed ſic tranſeant per bona temporalia, ut non amittant æterna.

Eundem in ſinem monent Bursfeldenſes Diſt. 2. cap. 5. Cellerarius quamvis exemplo Marthæ circa multa ſollicitari & turbari neceſſe habeat, non tamen ſe proſuſus à conventualibus alienare, aut ſilentium & quietem cellæ penitus abjicere & abhorere; ſed potius quantum ſinit oportunitas, neceſſariis expeditis ad opus Dei & conventum, ſed & ad cellam, tamquam ad quietiſſimum & tutiſſimum portum ſinum recurrat, ut legendo, orando, meditando turbulentos animi ſui motus ex cura & diſpoſitione exteriore ſurgentes, ſedare poſſit, & ſpiritualibus conſolationibus refrigerari.

Eadem inſdemque penè verbis habent Conſtitutiones Canonici Regularium Capituli Windelſemenſis parte 2. c. 138. & Conſtitutionis Eremitarum S. Auguſtini parte 3. c. 17.

Canonici quoque Præmonſtratenſes in ultimis ſuis Conſtitutionibus monent Abbates, ne Oeconomum ſeu Proviſorem alium conſtituant quam Sacerdotem, niſi gravis premat neceſſitas, adducta hac ratione: Qui in ruinam agit, qui nondum in virtute bene roboratus, ſua libertati relinquatur.

XIV. Ante omnia ergo in electione eorum qui adminiſtrandis temporalibus præficiunt à Superioribus attendendum, ut præficiendi in omni virtutum genere in tantum ſint exercitati, & in charitate ad eod fundati & radicati, ut merito conſidere liceat, quod interiorum curam per exteriorem occupationem non minuent, atque exteriorum providentiam, interiorum ſollicitudine ſedulo curabunt: qui, ut de Gerardo ait S. Bernard. non petulant (ut aſſolet) in eo officio detineantur affectu, ſed ſolo intuitu charitatis; qui quantum in iſtis eſt, ſemper optent quietem, ſibi intendere, Deo vacare, nec implicitos tenent niſi timor Dei, voluntas Fratrum, ac ſtudium obediendi. Niſi enim ſolitudini, piſque Religionis exercitiis, quibus anima paſcitur, & mens à terrenis ad cæleſtia revocatur, multum afficiantur; magnopere verendum, ne ſenſim, illis neglectis, rerum terrenarum curis implicentur: atque